




1768, 4
~~256~~
19


D. CAROLI ANTONII KEVFFEL

HISTORIA
AVCTORITATIS PRVDENTVM

APVD ROMANOS



SECTIO IV.



PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS HIBERNI

MDCCLXVIII.

PROLVSIONIS INSTAR

PRAEMISSA.



HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO

VIDVAE SCHNORRIAE.





HISTORIA
AVCTORITATIS PRUDENTVM
APVD ROMANOS

SECTIO IV.

HISTORIA
AVCTORITATIS AVTHENTICAE
PRUDENTVM.

§. XLI.

AVCTORITATIS AVTHENTICAE PRUDENTVM
AVCTOR AVGVSTVS.

¶ Verso in principatum ciuitatis statu, res iudiciaria populi Rom. magnam subibat mutationem. Inter munia magistratuum, quae in se trahebat Augustus rerum poritus, cupidissime inuadebat iudiciariam potestatem. Ipse enim ius dicebat assidue, et in noctem nonnunquam, contra morem veterum, qui et in curia et in foro seruabant legem Decemuiralem, Tab. I. propositam: Sol occasus suprema tempestas esto. Si parum

A 2

cor-



corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans iuri dicundo vacabat. SVETON. *Aug. c. 33.* Delibabat hac sua assiduitate de maiestate praetoris, siquidem non solum magnos concursus ad Augustum esse factos ex dictis apparet, sed etiam retractare sustinebat causas, in quibus a sententiis magistratum ad se prouocatum esset, haec enim cognitio ab initio et praecipue ad iurisdictionem Caesaris pertinebat. Praeterea vero animum quoque adiciebat, ad vniuersam iurisdictionem consiliis suis attemperandam. Durante libertate iudiciorum priuatorum fortuna in Ictorum prudentia sita erat, et responsa eorum valebant tanquam oracula ciuitatis. Licebat vnicuique facere ciuibus consilii sui copiam; qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant. Promiscua haec libertas sub principatu visa est limitanda. Primus diuus Augustus constituit, vt ex auctoritate eius responderent, et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit, *L. 2. §. 47. de O. I.* Tribuebat enim concessio Caesaris auctoritatem authentice respondendi, qua destituebantur qui priuatim consulentibus respondebant.

§. XLII.

RATIO ET VIS AVCTORITATIS AVTHENTICAE PRVDENTIVS CONCESSAE.

Non indeliberata erat haec Augusti constitutio. Etenim republica formam mutante, ordo Ictorum, qui ab antiquo apud populum in possessione gratiae et auctoritatis fuerat, in duas scindebatur sectas, quarum altera incorruptae libertatis desiderio agitabatur, altera dominantibus obsequium probabat suum. Non poterant non hi gratiosiores esse apud Augustum, ideoque, vt ministerio

sterio eorum vteretur ad firmandas res suas, constitueret, vt consulentibus ex auctoritate Caesaris responderent, vt maior iuris auctoritas haberetur, quam quidem rationem reddit Pomponius §. 47. *cit.* In quo ea constiterit, explicat Tribonianus in §. 8. *I. de I. N. G. et C.* dicendo, sententias Ictorum, quibus a Caesare ius respondendi datum erat, eam auctoritatem tenuisse, vt iudici recedere a responsis eorum non liceret. Iudicum nomine intelligendi sunt non solum iudices dati, sed ipsi etiam magistratus, cf. *MASCOV. de sect. Sab. et Proc. c. 2, p. 33.* nam et hos consuluisse prudentes legimus. A Flau. Respecto praetore consultus Celsus, in *L. 3. §. 1. D. de minor.* et Iuniano praetori respondit Papinianus in *L. 2. D. de pact. dot.* Dum vero Augustus hac sua constitutione, non aliis ICris quam a se probatis ius publice respondendi dabat, et iudicibus necessitatem imponebat vt responsa eorum sequerentur, duplex stabilitati noui principatus addebat firmamentum, vnum, vt per interpretationes et responsa prudentum leges inflectere daretur ad nouum statum, alterum, vt iudicia, inprimis centumviralia sibi redderet obnoxia, quae res ad vim imperii exferendam magnopere pertinebat. Dubito, an iure reprehendatur Pomponius, quod veram sanctionis causam vel non viderit, vel prodere noluerit, neque enim obsecrum esse censent, Augustum auctoritatem authenticam induluisse prudentibus quibusdam, vt operam conferrent ad leges nouo statui accommodandas et regnum praetoris euertendum. Enim vero, hi effectus per se sequebantur, si iuris, quod prudentes Augusto probati responderent, maior auctoritas haberetur.

§. XLIII.

AVCTORITAS AVTHENTICA SVB TIBERIO
SPECIOSIOR FACTA.

Regnante Tiberio Massurius Sabinus, summae existimationis Ictus, responsa authentica sub forma splendidior edebat. Qui ante Augusti tempora consulentibus responsa dabant, plerumque iudicibus ipsi scribebant, aut testabantur qui illos consulebant, *L. 2. §. 47. de O. I.* quod in hunc sensum accipio; aut scripsisse iudicibus quid decernendum esset, aut partibus testimonium dedisse, quod ita iudicandum esset a iudice. Conf. *BYNK. in praetern. ad §. 47. cit.* De Sabino vero refert Pomponius *loc. cit.* quod publice primus scripsit, quod praeter morem anteriorum responsa signata dedit, quod hoc ei a Tiberio concessum, et quod postea hoc beneficium coepit aliis quoque dari. Ex his dictis colligendum esse arbitror, Massurium Sabinum addidisse responsis authenticis formam documentorum publicorum, confirmando illa signo vel sigillo impresso, ut hac nota discernerentur a responsis priuatis datis, et iudices scirent, non licere ipsis a responso recedere. Videtur subindicari, Sabinum priuato ausu sibi summis, ut hac publice scribendi forma uteretur, et Tiberium conueniendo permisisse, ut hac gloriola fruere, postea enim hoc beneficium dari coepit a Tiberio Caesare, quod tamen illi concessum erat. Si quis aliter interpretari malit, non repugnabo.

§. XLIV.

FATA VLTERIORA AVCTORITATIS AVTHENTICAE
PRVDENTVM.

C. Caligula, ordini et auctoritati prudentum plane infensus, *de iurisconsultis, quasi scientiae eorum omnem sum*

usum aboliturus, saepe iactauit, se mebercle' effecturum, ne quid (vel potius: ne qui) respondere possint praeter eum, SVET. Calig. c. 34. sed ne sic quidem responsa authentica ab usu recessisse videntur. Sub Nerone enim ad morem signandi responsa, tanquam vtitatum et quotidianum aludit SENECA. de Benef. L. 7, c. 16. Si tamen quid sentiam quaeris, et vis signare responsum. Nec potuisset scribere Epist. 94. Iurisperitorum valent responsa, etiamsi ratio non redditur, nisi solitum fuisset vt ex auctoritate Caesaris darentur. Postea tamen destitisse videntur principes a concedendo hoc beneficio. Optimus enim princeps Hadrianus, cum ab eo viri praetorii peterent, vt sibi liceret respondere, rescripsit eis: hoc non peti, sed praestari solere, et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet, §. 47. cit. Negat Hadrianus, ius respondendi consulentibus peti solere pro beneficio, ideoque sub eius antecessoribus institutum Augusti in desuetudinem abiisse oportet. Praetura functi olim in prouincias ibant prouincialibus ius dicturi, iam vero viri praetorii petebant, vt sibi liceret respondere, quo in ipsa vrbe potestatem aliquam exercerent, et priuatum respondentes antecellerent. Nolebat Hadrianus annuere precibus, ipse enim iuri constituendo intendebat, quod demonstrauit componendo edictum perpetuum, et controuersias decidi malebat per iurisperitos quos habebat in consilio, eratque prouidendum ne alii obstrepere illis possent, quare id solum concedebat, quod salua dominatione concedi poterat, vt pro fiducia studiorum ad respondendum se praepararent, sed sine auctoritate publica. Interim quod EVNAP. narrat in vita Chrysanth. Innocentio I Cto condendarum legum arbitrium et auctoritatem imperatorum consensu commissam fuisse, significare videtur, beneficium Augusti subinde etiam in usum reuocatum fuisse.

§. XLV



§. XLV.

FORMULAE CONSULENDI ET RESPONDENDI

Operae pretium se facere existimavit BRISSONIVS, colligendo formulas consulendi et respondendi in iure nostro obuias, hinc nec ego nugari videbor, si vtrarumque formularum exempla quaedam hoc loco apponam, quo de iure respondendi ICTIS concessio verba facio. Formulas consulendi varie conceptas legimus. Frequenter consulebant vno verbo, QVAERO vel ROGO. Sic in *L. 30. §. 1. D. de except. rei iud.* Cum de hereditate inter Maevium et Titium transigeretur, *quaero an ius aui fui exsequi possit?* et in *L. 44. §. 1. D. ad SC. Trebell.* In huiusmodi quaestione rogo respondeas an recte senserim. Interdum sic consulebant: rogo vel quaero QUID EXISTIMES, vid. *L. 21. D. de usurp. et usucap. L. 83. de legat. II.* Quandoque utebantur formula: VELIM RESCRIBAS, vt in *L. 50. D. de Minor.* Tu quid de eo putas velim rescribas, et hinc porro factum est, vt ICTI rescribere dicerentur, ex. g. in *L. 38. §. 2. D. de act. emt.* Firmus a Proculo quaesivit, *ille rescripsit.* Interdum per modum epistolae, salute adscripta responsum petebatur, et eodem modo dabatur. vid. *L. 27. D. qui testam. fac. L. 18. D. de iur. codicill.* Ad respondendi formulas quod attinet, vtitatissimum erat vocabulum RESPONDI. Addebant saepe: SECVNDVM EA QVAE PROPONERENTVR, vt in *L. 34, 36, 37. D. de usu et usufr.* Ad hanc prope accedit formula in *L. 34. pr. D. de legat. II.* Modestinus respondit, *ex verbis consultationi insertis* petitionem non habere. vid. pluribus BRISSON. *de formul. L. 3. circa fin.*

§. XLVI.



§. XLVI.

RESPONSA PRUDENTVM IURI SCRIPTO
ANNVMERATA.

Responsa prudentum recenset Tribonianus § 3. *I. de I. N. G. et C.* inter species iuris scripti, eaque § 8, definit, quod sint sententiae et opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere. Quasi illustrationis causa subiicit narratiunculam de iure respondendi a Caesare dato. Dum ita disputat, videri posset Tribonianus responsis Ictorum, quibus beneficium authentice respondendi datum erat, tribuere vim iuris generaliter constituti, et quia peculiare habebat auctores, etiam peculiarem iuris speciem inde efformasse; sed talia proponendo, eos, quos erudire voluit, in plures coniecisset errores. Prudentes enim in actu respondendi ius nouum non constituebant, sed respondebant de iure iam constituto, et informabant iudices, vt secundum illud ius dicere possent. Augustus sententiis illorum et opinionibus auctoritatem legalem non addidit, sed hanc solum, vt iudici recedere a responso non liceret. Haec itaque non fuerunt species iuris scripti, sed, vt explicat *EV. OTTO ad cit. §. 8. I.* demum facta sunt, ex quo tempore Theodosius et Valentinianus Impp. quorundam scriptis auctoritatem legis dederunt, quam explicationem praeruerat *I. GOTHOR. ad L. vn. C. Theod. de resp. prud.* Nec tamen displicet sententia consultissimi *E. C. CONRADI, §. 62. proleg. Inst. Iur. Civ.* dicentis: quando Iustinianus voluit, vt species iuris scripti haberentur sex, quas §. 3. *I. tit. cit.* enumerat, intelligendum esse quicquid horum vel Institutionum, vel Digestorum, aut Codicis libris insertum appareret. Caeterum sententias et opiniones distinguit *THEOPHIL. in paraphrasi*, quod sententiae sint responso indubia, veluti, hoc facere licet, hoc non licet:

B

ob-



opinio vero sit responsio suspensa et timida, vt, existimo hoc fieri non licere. Obseruationem hanc et distinctionem inanem pronunciat I. GOTHOFR. *in praelequ. ante L. 58. de R. I.* et libros Opinionum, quos scripsit Vlpianus, interpretatur fuisse libros sententiarum et regularum, quod plenius asserit ad *L. 61. de R. I.* sed illum potius consilia prudentiae, siue cautiones, vti Modestinus in libro Heurematicorum tradidisse, contendit BACH. *in Hist. iuris-prud. L. 3, c. 2, sect. 5, §. 26, not. 2.*

§. XLVII.

AUCTORITAS AUTHENTICA SCRIPTIS ICTORVM QVORVNDAM IMPERTITA.

Delectari se rescripserat Hadrianus, si quis fiduciam sui haberet, populo ad respondendum se praepararet, et erat seculum ferax Ictorum, qui copia doctrinae, subtilitate ingenii, multitudine scriptorum, amplitudine munerum gestorum aliisque laudibus ad omnis posteritatis memoriam inclaruerunt, quid quod seculo III illi Ictorum Coryphaei floruerunt, qui tam cognitione quam expositione legum, omnes ante pariter et post se Romanos ICTos superarunt. Fuerunt inter illos qui libros Responsorum reliquerunt, Ceruid. Scaeuola libros VI, Marcellus librum singularem, Papinianus libros XIX, Vlpianus libros II, Iulius Paulus libros XXIII, Herennius Modestinus libros XIX, quae librorum inscriptiones satis ostendunt, quamdiu studia legitimae scientiae floruerunt, morem consulendi et respondendi frequenti in vsu fuisse. Sequebantur tempora, quibus iuris ciuillis cognitio, quae plurimum dignitatis et gratiae olim attulerat, adeo spreta et neglecta iacebat, vt non amplius essent, qui consuli potuissent, et quia vulgo imperatores ipsi ab omnis generis hominibus consulebantur, factum esse legi-



gimus, vt, qui preces imperatori offerebant, apponerent sententias Ictorum, qui iam e vita excefferant. Patet hoc ex *L. 14. C. de praed. et al. reb. minor.* vbi Diocletianus et Maximianus Impp. referibunt Phrominio: *Vire viri prudentissimi Papiniani responso, ceterorumque, quorum precibus fecisti mentionem, sententiis.* Miseram iudiciorum constitutionem deplorat VALENTIANVS III in *Nov.* dicendo: in quibusdam Italiae regionibus et caufidicos et iudices deesse, gnarosque iuris et legum aut raro aut minime reperiri. In hac igitur temporum caligine, vt iurisdictioni exercendae confuleret Imperator, aliam rebus afflictis medelam non inueniebat, quam vt scriptis probatissimorum quorundam Ictorum auctoritatem authenticam impertiret, iudicesque obfringeret, vt ex his fontibus decisiones caussarum haurirent.

§. XLVIII.

CONSTITVTIO VALENTINIANI III DE SCRIPTIS
ICTORVM IN IVDICIIS RECITANDIS.

Constitutio Valentiniiani ad senatum vrbs Romae, in *L. vn. C. Theod. de respons. prud.* sic emissa legitur. *Papiniani, Pauli, Cati, Vlpiani atque Modestini scripta vniuersa firmamus ita, vt Caium atque Paulum, Vlpianum et caeteros comitetur auctoritas lectionis, quae ex omni opere recitatur. Eorum quoque scientiam, quorum tractatus atque sententias praedicti omnes suis operibus miscuerunt, varam esse censimus, vt Scaeuolae, Sabini, Iuliani atque Marcelli, omniumque quos illi celebrarunt: si tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur. Vbi autem diuersae sententiae proferentur, potius numerus vincat auctorum; vel, si numerus aequalis sit, eius partis praecedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui, vt singulos vincit, ita cedit duobus.*





tas etiam Pauli atque Ulpiani, in Papiniani corpus factas, sicut dudum statutum est, praecipimus infirmari. Vbi autem pares eorum sententiae recitantur, quorum par censetur auctoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio iudicis. Pauli quoque sententias semper valere praecipimus. Quaesitum est, utrum Valentinianus per hanc constitutionem bene consuluerit rei iudicariae, et dignitati scientiae legitima? Obmouet HEINECC *Hist. iur. L. 1. §. 377. in not.* ita non iusti ac aequi haberi rationem, sed auctoritatis, non ponderari sed numerari sententias, ideoque actum fuisse de iurisprudencia, publicata hac constitutione. Repperit RITTER *ad l. c.* laudandum potius quam vituperandum esse Valentinianum, ratione nimirum temporis habita, et quasi intermortuae peritiae iuris. Plenius causam Valentiniani agit EV. OTTO *in Papin. c. 13. §. 5.* monendo: in dirimendis litibus non ipsam tantummodo veritatem, sed simul exitum negotiorum spectandum: si plures bene a natura formati, doctrinis instituti, et longo usu edocti, in eandem sententiam conspirant, verius esse, ut morale eorum iudicium naturali ratione consensaneum haberi debeat: ratione non carere quod tanta praerogatiua scriptis Papiniani tributa est, caeteros quoque fuisse viros doctissimos, sapientissimos et peritissimos, atque haec sufficere puto ad defendendum Valentinianum.

§. XLIX.

CAPITA CONSTITUTIONIS VALENTINIANI ILLUSTRANTUR.

Constitutio allata continet V capita, pluribus illustrata a I. G. I. HOFR. *in Commentario*, sed et aliunde porro illustranda. Primo capite sancitur, ut quinque iurorum scripta comiteretur auctoritas lectionis, quae ex omni opere
re-

recitatur. Solebant in iudiciis recitari non solum constitutiones principum, sed et responsa prudentum. *Lectum est responsum Domit. Vlpiani* dicitur in *L. 43. D. de act. emt.* Fiebat hoc eo fine, ut eorum auctoritatem iudices in iudicando sequerentur, ideoque mens imperatoris est, quicquid ex scriptis quinque ICrorum recitaretur, instar legis esse observandum. Secundo capite nominatim Scaeuolae, Sabini, Iuliani atque Marcelli doctrinae ratae esse iubentur. Primo *Scaeuolae*, nempe *Q. Ceruidii Scaeuolae*, auctoris prudentissimi ICrorum, in *L. 3. C. Theod. de testam.* Secundo *Sabini*. Cum plures Sabini fuerint, *Masurius Sabinus*, *Coelius Sabinus*, *Fabius Sabinus*, *Sabini insignis viri filius*, *Cato temporis sui*, et *Alexandri consiliarius*, *LAMP. Alex. c. 68.* difficile dictu est, quinam eorum a *Valentiniano* designetur. *Fabius* eiusque pater libros non scripserunt, et mirum foret imperatorem e prudentibus seculi primi vnum aliquem in scenam producere voluisse: cogitasse tamen videtur de libris *Vlpiani* ad *Sabinum*. Tertio *Iuliani*, conditoris edicti perpetui. Quarto *Marcelli*, tantae auctoritatis inter ipsos ICros, ut haud leue veritatis argumentum haberetur, si *Iulianus* aliquid diceret, et *Marcellus* consentiret. *L. 27. §. 3. D. ad L. Aquil. L. 2. in f. D. de Nox. act. c. VIAC. Obseruat. XIV, 35.* Capite tertio additur cautela: modo libri codicum collatione firmentur, ex quo intelligitur, non omnem emendationem legum esse culpandam. Capite quarto definitur, quid faciendum si diuersae sententiae proferrentur, et quid si pares existerent. Vincere iubetur ea pars, a qua staret *Papinianus*, et simul infirmantur notae *Pauli* atque *Vlpiani* in corpus *Papiniani*, sicut dudum statutum erat, quae verba se referre videntur ad id, quod in *L. 13. pr. C. de sent. passis*, *Constantino* placuit, *remotis Vlpiani atque Pauli notis, Papiniani valere sententiam*. Denique capite quinto *Pauli* sententiae temper valere praecipit.



untur. Scripserat Paulus libros receptorum sententiarum, complectentes ea, in quae iam et auctores iuris, et vñs fori consensisset. Interprete GALVAN. *de vsufr. c. 16, n. 13*, Valentinianus sanciuit dandum esse meritis sententiarum Pauli, vt vincat omnes auctores et omnes libros iuris, et per hoc ipsum etiam Papinianum et libros Papiniani, illud enim *semper* vi sua extensionem habere ad omnes casus. Reicit hanc interpretationem, non nominato auctore, I. GOTHOFER. *in Comment. ad h. l.* vtpote praerogatiuis supra Papiniano tributis plane aduersantem, et a Gothorum manu id esse credit.

§. L.

IUSTINIANVS FRAGMENTIS ICTORVM SVARVM CONSTITVTIONVM ROEVR ACCOMMODAVIT.

Per legem Valentiniani iurisprudentiae Romanae qualiscunq; disciplinae ratio quaesita erat, sed quae a completa et concinna scientiae legitimae constitutione longe adhuc aberat. Probe hoc intelligens Iustinianus, princeps pace belloque magnus, et sanctionem Romanam ad culmen perfectionis, quantum daretur, euehere cupiens, rationes aliter subducendas esse statuebat. Extendebat curam suam ad immensa veteris prudentiae volumina, iubebatque, vt lectis libris antiquorum prudentum, qui ad ius Romanum pertinerent, omnis ex illis materies colligeretur, et nulla similitudine nullaque discordia relicta, in L libros Digestorum compingeretur. Constitutionem Valentiniani abrogabat, praeciens vt omnes auctores iuris aequa dignitate pollerent, neque ex multitudine auctorum quod melius aut aequius esset iudicaretur. Quae in notis Papiniani ex Vlpiano et Paulo, nec non Marciano adscripta essent, non permittebat respui, sed si quid ex his ad repletionem laborum eius, vel
in



interpretationem necessarium esse perspiceretur, et hoc poni legis vicem obtinens volebat. Omnia in corpore iuris, suis auspiciis collecto, comprehensa, sua esse iubebat, tamquam leges a se conditas et promulgatas, dumque legislationem suam posteritati magnopere approbavit, simul responsa et sententias prudentum, Digestis illatas, insignes fecit auctoritate authentica ad nostra usque tempora propagata.

§. LI.

CONCLUSIO TRACTATIONIS.

His haftenus expositis finem impono commentationi historicae de auctoritate prudentum apud Romanos, qua principes in civitate viros studio iuris civilis praefuisse docui, et operam quam reipublicae navarunt, et assiduitatem eorum forensis, et merita in iurisprudentiam, et praemia quae publice consecuta sunt celebraui, descriptionis argumento nec iniucundo, ut mihi persuasi, nec ab utilitate destituito. *Quid enim ipsa auctoritas antiquorum? quaerit CIC. ad Herenn. L. 4, c. 2, et responder: Cum res probabiliores, tum hominum studia ad imitandum alacriora reddit, imo erigit omnium cupiditates et acuit industriam, cum spes iniecta est, posse imitando Gracchi aut Crassi consequi facultatem.* Proponamus itaque auctoritatem antiquorum prudentum sic nobis ante oculos, ut ad iustitiam colendam studia nostra reddat alacriora.

Addendus adhuc index praelectionum, quibus per semestre hibernum studiis Honoratissimorum Dominorum Commilitonum inseruire mihi iucundum erit. Primariam operam collocabo in tradendo iure Canonico, iuncto iure ecclesiastico, usum hodiernum iuris canonici in terris protestantium explanante. Prout illud vel per leges imperii publicas, vel per ordinationes particulares ecclesiarum



harum protestantium constitutum est, diuiditur in publi-
 cum et priuatum. Tres has completae tractationis par-
 tes commendabili instituto complexus est Ill. GEORG.
 LVD BOEHMERVS in *principiis Iuris Canonici, spectatum*
iuris ecclesiastici, publici et priuati, ad quorum proinde
 filum praelectiones meas accommodabo. Spectatum ex
 iure canonico haurienda est *theoria processus iudicarij*,
 quam in librum IV coniecit laudatus Boehmerus. Quae
 in eo praecipiantur, remota sunt ab vltibus Studioforum
 Theologiae, qui tamen iuris ecclesiastici peritiam scien-
 tiaae theologicae partem esse merito statuunt; igitur in li-
 brum quartum peculiari hora commentabor, et quidem
 gratis, additurus subinde quae de iuribus litium per Or-
 dinationes recentiores constituta sunt. Elementa totius
 legitimae scientiae secundum ordinem *Institutionum* et
 methodum HEINECCIi ita explicabo, vt ad solidam
 principiorum iuris intelligentiam omnia referam; nec iis
 deero qui praelectiones in BOEHMERI *Elementa Iurispr.*
Criminalis, vel STRVvii *Iurisprud. R. G. for.* desiderabunt,
 ipsoque facto fauorem Dominorum auditorum mereri
 studebo. Scrib. Helmstädi die xxvi. Sept.

MD CCLXVIII.



ULB Halle

005 350 883


3



WIP








1768, 4
~~206~~
19

D. CAROLI ANTONII KEVFFEL


HISTORIA

AVCTORITATIS PRVDENTVM

APVD ROMANOS



SECTIO IV.



PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS HIBERNI

MDCCLXVIII.

PROLVSIONIS INSTAR

PRAEMISSA.



HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO

VIDVAE SCHNORRIAE.

